



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd oporteat fructus & opera dilectionis oste[n]dere, alioqui Christi beneficium (id est, iustificatio) non retinetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

quòd simul Fides & charitas, vel quòd fides propter charitatē vel fides formata charitate iustificet & accipiat remissionem peccatorum, hæc in opere iustificationis non valent, ibi ratio Fidei agit cum Christo sine dilectione vel opere, sed gratis accipiet ex misericordia propter Christum. At extra opus iustificationis in illum finē, vt retineatur remissio peccatorum & iustificatio, vt fides ostēdatur & manifesta fiat per dilectionem, aut ne mortua sit Fides, vt Iacobus 2. capite dicit, vt que vera & efficax sit fides, necessario debet sequi dilectio, quæ operatur fructus Spiritus sancti, Gal. 5. & obedientiam legis, 1. Tim. 1. Finis præcepti charitas est de corde puro, consciētia bona, & fide nō ficta: oportet enim primū habere cor purū, & hoc purificat fides, Act. 15. conscientiam bonam per fidem non fictam, & ex illis procedit & sequitur charitas: ratio ergò Fidei ante omnem dilectionem & opera accipit Christi beneficiū, deindē acceptum beneficium gratis, causa est dilectionis, quam operatur Spiritus sanctus, qui datur per fidem in Christū, vel ex auditu fidei, id est, verbo Dei, Galat. tertio. Ex operibus legis, an ex auditu Fidei? sicut scriptum est, Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, &c. Genes. 15. Sequitur ergò Fidem dilectio, tātquā gratitudo pro accepto beneficio per fidem.

3^a Illa Dilectio quæ fidem sequitur, oportet vt ostendatur & cognoscatur foris per opera & fructus, per obseruantiam & obedientiam præceptorum. Quæ obedientia si non ex dilectione erga proximum pro accepto beneficio sequitur, fides illa non est vera aut viua, nec retinet iustitiam Christi: nam si secundū carnem ambulaueritis, moriemini, inquit Apostolus Rom. 8. Necessario igitur debent sequi fructus & obedientia legis ipsam Fidem, idē inquit Apostolus: Fides quæ per dilectionem operatur: non inquit, fides quæ per dilectionem iustificat, quia fides iam accipit

cepit

cepit iustificationem: sed vt hæc nunc testificetur, tanquam vera, dilectio operosa sequi debet.

Insuper Christus sæpè in Euangelio inquit, Luc. seprimò. Fides tua te saluum fecit, id est, iuuit: nò inquit Christus, fides & dilectio tua simul te iustificat, sed dat locum Fidei: sed tamen necessariò sequi debet dilectio, quæ legem implet, quæ impletio & bona opera si non fiunt ex fide Christi & sequuntur, tunc Fides illa nulla est. Igitur quod dicunt veteres, Fides formata charitate iustificat: sic est intelligendum, quia fides per charitatem operosa, retinet iustificationem, quam primò fides accepit.

Igitur si non adsunt opera sequentia fidem, Fides illa nec accepit, nec retinet iustificationem. Quo fit, quòd dum recentiores vrgent solam fidem iustificatione, hoc intelligunt quoad acceptionem, quòd Fides ante omne opus accipit iustificationem gratis: sed quoniam iustificatio illa nulla est, nec retinetur nec efficax est sine operibus sequentibus aut obedientia legis, ideò dicitur quòd non sola Fides, sed illa que operatur per dilectionem, sit meritoria, retineat iustificationem, & saluet. Quid enim prodesset accepisse iustificationem, si non esset efficax nec retineretur? Hæc autem retentio contingit per dilectionem, opera & obedientiam legis. Fides vnico quasi momento primò appræhedit Christum & sua beneficia, deindè Spiritum sanctum qui operatur suos fructus, Gala. 5. id est, charitatem, timorem, & omnia pia opera: quandò ergò fructus Spiritus sancti non sequuntur, nec etiam ibi fides est, & charitas est fructus Spiritus sancti. Dum ergò obedientia legis non sequitur fidem, & Christiana seu innocens vita, ibi nec Fides nec iustificatio est. Opera ergò siue dilectio sunt testes veræ fidei & iustificationis.

Caput